



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 1. An Eucharistia est verum Sacrificium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

& approbata à Trid. sess. 21. c. 2. Item eam distribuere sine stola, Superpelliceo, vel Alba; quia est contra reverentiam ei debitam, & Præceptum Ecclesiæ.

## CAPUT III.

### *De Missæ Sacrificio.*

Q. I. **A**N Eucharistia est verum Sacrificium?  
 Resp. **A**ff. Est de fide, ex Trid. sess. 22. can. 1. 2. & 3. Ratio est, quia Sacrificium propriè dictum est oblatio externa substantiæ sensibilis, per ejus realem immutationem facta Deo, in testificationem supremi Domini Dei in omnes creaturas, & harum ad eum subjectionis. At hæc omnia conveniunt Eucharistiæ; nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas; & per actionem sacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis sub speciebus corruptibilibus in statu realiter diverso, & inepto ad usus naturales ac humanos Corporis & Sanguinis, atque tendente ad destructionem seu desitionem, quatenus, speciebus corruptis, necessariò ibi desinunt esse Corpus & Sanguis Christi. Fitque hæc oblatio ex institutione Christi ad agnitionem supremi Dei in res omnes Domini, quod nempe sit ipse autor supremus rerum omnium, Dominus vitæ

& necis, ad cuius gloriam omnia referri debeant. Et verò cum Sacrificium sit actus Religionis perfectissimus, quo Deo cultus ipsi soli proprius ac debitus exhibetur, non debuit eo carere vera ac perfectissima Religio.

*Not.* Sacrificium Missæ est simul. 1. Latreuticum seu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi eius Domini. 2. Eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis Beneficiis. 3. Propitiatorium, quatenus offertur, & valet ad remissionem peccatorum, & poenæ eis debita. 4. Impetratorium, quatenus fit & valet ad impetranda à Deo Beneficia.

*Q. 2. Quinam sunt Sacrificii Missæ effectus?*

*Resp. 1.* Ut propitiatorium, confert iis pro quibus offertur, remissionem peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & poenam temporalem peccatis condonatis debitam, ex Trid. sess. 22. cap. 2. docente *Sacrificium istud esse verè propitiatorium... huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum poenitentiae concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. & can. 3. Si quis dixit Missæ Sacrificium soli prodesse sumenti: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Producit autem immediatè remissionem poenæ temporalis, peccatis quoad culpam remissis, debita, idque plus aut minus pro